DE ORACULORUM SIBYLLINORUM ELOCUTIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
IN ACADEMIA LITTERARUM ROSTOCHIENSI AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
IMPETRANDOS

TRADIDIT

ERVINUS OLDENBURGER
GUESTFALUS

ROSTOCHII
TYPIS CAROLI HINSTORFFII
MCMIII
VENUM DAT H. WARKENTIEN

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit Otto Kern, prof. ordin.

Examen rigorosum habitum est die III. mens. August anni MCMIII.

Parentibus carissimis

pietatis causa.

De oraculorum Sibyllinorum elocutione.

Pars I.

De enuntiatis coniunctionalibus et relativis.

Oracula Sibyllina q. d., cum attente perlegerim, consilium cepi de horum carminum elocutione nonnulla componendi. Ac primum quidem adductus sum ea re, quod nondum permulti in inferioris Graecitatis rationem accuratius inquisiverunt, ut sperare liceret etiam eum cui diutius in studiis grammaticis versandi occasio oblata non sit, aliquid novi proferre posse.

Deinde, ut Reinholdii verbis utar (Henr. Reinhold, De Graecitate patrum apostolicorum etc., Dissertat. philol. Halens. XIV (1898) p. 1—115) „quod ei, qui historiam linguae Graecae scrutatur, nihil exoptatius accidere potest, quam quod libri argumenti cognatione inter se conexi complures linguae vulgaris gradus idoneis exemplis illustrant.“ Ac re vera haec oracula diversis temporibus ficta commutationes, quibus lingua per sex fere saecula obnoxia erat, dilucide illustrant, ut ex iis operose investigatis facile fructus quidam percipi possit. Qua de caussa primum structuras, quae pendent a coniunctionibus et pronominibus relativis

fusius ac latius, quantum potero, tractare mihi proposui, tum de casuum syntaxi agam et insolentiora quaedam explicare conabor. Quamquam non id ago, ut omnia exempla, quae afferri possint, depromam, sed eos, ut verbo utar, „soloecismos“ seligam, qui sive recedant ab Attico sermone, sive recedere videantur. In fine partis prioris praeterea, ut Sibyllistarum scribendi genus prorsus palam fiat, Atticismi, q. d. vestigia indagare conatus sum, quo quam gravia detrimenta ceperit κοινή, nemo ignorat. Sed perspicuum est homini artis grammaticae satis imperito difficile esse in his rebus diiudicandis ultra modum non egredi. Quod attinet ad Hebraismos et alios barbarismos hos plane praeterire possumus, quod ‚ad universam orationis structuram et ad vocabulorum significationem magis pertinent quam ad grammaticam‘ (Reinhold l. c. p. 8); cf. A. Thumb, Die griechische Sprache im Zeitalter des Hellenismus, Argentorati 1901, p. 120 ss. —

Sed priusquam ad inceptum, quod indicavi, ipsum accingar, pauca mihi praefanda esse arbitrabar de rei tractandae ratione, quam investigandam mihi proposui.

In tractandis inferioris Graecitatis scriptis circumspicienti mihi regulam certam vel normam, qua quid in lectionibus singularibus exemplis comprobari non possit utrum sit emendandum an in contextu retinendum, sat constanter diiudicetur, incipiendum esse duxi a sententia viri praeclari G. N. Hatzidakis, quam p. 15 operis, cui inscribitur „Einleitung in die neugriechische Grammatik“ respiciens auctores mediae seu Byzantinae Graecitatis axiomatis fere more sic expressit: omnia, quae in his scriptis nec cum

Graecitate vetere nec hodierna conspirarent ita ut altrinsecus observanti prorsus abhorrere a Graeca ratione viderentur, ut re vera non Graeca omittenda et abicienda esse; quamquam paratus esset concedere Graecitati mediae sua propria elementa fuisse, tamen convenirent oportere legibus generalibus, quibus obstricta teneretur quasi tota Graece loquendi proprietas et consuetudo. — Quod praeceptum transferendum commendavit iam Thumbius (l. c. p. 12) in auctores Alexandrinae et Romanae aetatis — Atticismi scilicet expertes — qua re illucet necessarium esse hominem, qui huic dialecto investigandae operam impendat, respicere, ubi res dubia est, et veterem et recentiorem Graecitatem. Eo processerunt viri docti; iam videamus, possitne fieri, ut plusculum efficiatur. Concludi enim posse mihi videtur e regula supra exarata, si res vero sic sese habet, suo iure omnia, quamvis singulariter prodeant in sermone, si quidem respondeant dicendi rationi illius aetatis et toti consuetudini proprietatique sermonis Graeci, funditus esse toleranda. Ac ne nimis audacter vel temere iudicasse videar, accuratius in singula descendam.

Eiusmodi leges, quibus supra dixi obsequi dictionem inde ab Alexandrinis usque ad Romana tempora tres praecipue discerni possunt:

1. studium simplificandi sermonis (qua de re ita egit Blassius „Grammatik des neutestamentlichen Griechisch" p. 3., ut superflum sit plura addere.)

2. ratio exigendi res grammaticas ad certas quasdam normas quam simplicissimas, quomodo ars, ut ita dicam, librandi exercetur in elocutione.

3. ratio per analogiam formandi.

In his permagni interest animadvertere tres illas regulas non solum ad ea, quae traduntur de vocibus et flexione pertinere, quod Thumbius luculentissime edocuit, sed etiam, quod magnopere premo, ad syntaxin.

Quod, ut breviter persolvam rem per se perspicuam, κελεύειν ex analogia ceterorum verborum imperandi (velut παραινεῖν, παρακελεύεσθαι, παραγγέλλειν, ἐπιτάττειν) labente aetate saepius in dies cum dativo construitur, quod τυγχάνειν (ut λαμβάνειν) accusativum sibi adsciscit non secus ἐπιθυμεῖν (Clem. Alex. p. 412), πολεμεὶν, ἐφίεσθαι etc., his exemplis, quae frequentia leguntur, ut adpetenti ultro se offerant, quae supra dixi, haud dubie comprobantur. Quae cum ita sint, exemplis admodum crebris maxime adiutus minime dubito:

1. axioma illud Hatzidakis in syntaxeos problemata transferre,

2. Thumbio praecedente Alexandrinae et Romanae Graecitati huius normae lucem, ut e re logica verbum mutuem, ‚admovere‘,

3. regulam negative expressam apud auctorem abiecta omni anxietate ita commutatam pronuntiare: omnia, quae proprietati cum totius loquendi generis tum aetatis huius concinerent vere Graeca esse accipienda. — Luce igitur, ut breviter complectar, ab Hatzidaki incensa paululumque aucta mihi persuasum est multa adhuc caligine obvoluta detectum et rectius diiudicatum iri, quam saepe factum esse scimus. Neque enim, ne hodie quidem inter omnes constat necessario nos applicemus oportere codicum m. s.

traditioni in his quoque scriptoribus, quorum studium spretum sat diu iacuit, in inferioris quoque Graecitatis exemplis, cuius columina non magno spatio temporis intermisso Cobetus (Var. lect.[2] p. 182) prorsus indigna esse nomine Graeco contendit.

Immo vero opinionibus praeiudicatis obstrictos invenias, qui statim vel parvula licentia concessa magno eiulatu omnium regularum claustra refringi, artis criticae ipsius praecepta calcari pessum clamitent. Ac nimirum terminus certus nondum exstructus est, usque ad quem, ultra quem non ferendae sint res insolentiores. Normis quoque supra expositis omnia perspicua reddi quis pro certo habebit? Multa obscura remanebunt; sed in re tam difficili paucorumque adhuc studio delibuta aliquatenus processisse sufficiat. Omnino titulis et papyris nuper detectis magis magisque apertum fit sermonis cancellos non tam artos esse quam vulgo creditum est. Utinam solum thesauros reddere pergat!

Auget praeterea harum difficultatum molem in Sibyllinis carminibus archaismus epicus. Multa enim, quae inferiore aetate e consuetudine vulgari loquendi erant neque deprehendebantur in Attica dictione, apud veteres epicos inveniri possunt (velut coniunctivus sine ἄν particula in enuntiatis pendentibus), ut quaestionem, utrum talia e memoria epica fluxerint an e sermone cotidiano sint adscita, est ubi incertam e manibus emittere cogamur. Praeterquam quod, ut dixi, locutiones veteris poeseos in orationem solutam inferioris aetatis irrepserunt, archaismus mere epicus, qui certis fere formulis et clausulis continetur, facile cognoscitur. Quem, utpote qui meam excedat provinciam, praeter-

mitto; ubi vero dubium esse potuit sitne archaismus an recens consuetudo intelligenda, optimum esse putavi utriusque rei documenta exarare, qua in re nil obstat, quominus utramque ad elocutionis formam valuisse opinemur.

Sed gradatim est procedendum. Quam ob rem his praemissis ad carmina Sibyllina redeamus. Quorum versus iisdem numeris notavi ac Rzachius (Χρησμοὶ Σιβυλλιακοί, Vindobonae 1891); Alexandri opus inspexi et quoad e re esse videretur, laudavi. Post Rzachium Ludovicus Mendelssohn in Sibyllinorum carminum emendatione feliciter est versatus (v. Philologi vol. anni 1890, p. 240 ss.), neque tamen ei contigit, ut editionem diligentissime praeparatam publici iuris faceret, cum morte subita e medio tolleretur. Mendelssohnii curas excepit Joannes Geffcken, cuius opus, cum scribere coepissem, nondum in lucem erat emissum. Dubium esse non potest, quin multos locos habili manu sanaverit, locis haud paucis codicum scripturam recte instauraverit; tamen Rzachii apparatu haud facile caream. Nihilominus, ut aequum est, novae editionis lectiones ubique sedulo contuli et respexi, ut utrovis libro in his plagulis legendis uti possis.

Incipiam a partibus genuinis libri IIIii, quas antiquissimas esse philologus ille Parisinus certissimis argumentis demonstravit (Orac. Sib. ed. C. Alexandre 1869, v. praef. et excurs. IV, V, cf. Geffcken, Komposition und Entstehungszeit der Orac. Sib. p. 1 ss.). Huius carminis auctor in coniunctionibus temporalibus adhibendis rem ita administrare solet, ut modo usum

optimae Graecitatis sequatur (velut III. 71, 97, 183, 211, 520, 608, 633, 798, 645, 816 passim), modo vulgari more structuras „foedissimis soloecismis" inquinet. Sic legimus apud Rzachium et Geffckenium III. 132:

ὁππότε κεν δὲ Ῥέη τίκτῃ (e coniectura Volkmanni; τίκτεν libri) παρὰ τῆνδ' ἐκάθηντο Τιτῆνες, ubi in priore membro loco coniunctivi cum ἄν coniuncti optativum iterativum expectamus. Forsitan quispiam putaverit loco, quem tractamus, optativum non esse positum, quod hic modus omnino evanescat (Radermacher, Mus. rhen. 1901, p. 208), sed tam saepe eum in libris Sibyllinis adhibitum invenimus, ut causa non subsit, cur hoc suspicemur.

Immo vero haec iterationis significandae ratio compensatur indicativo praeteriti temporis cum ἄν conexo (v. Blass, Grammatik d. neut. Griech. p. 202).[1] Qui modus, cum exemplis, quae attulit vir doctissimus, satis probetur, valde miratus sum, cur Rzachius et Geffckenius ὁππότε κεν ... τίκτῃ contra codicum Φ, Ψ lectionem coniecerint, cum τίκτε(ν), quod illi exarant, satis probabile esse videatur.[2] Lectionem, quam

1) cf. Septuaginta Interpr. Exod. 40,30: ἡνίκα δ' ἂν ἀνέβη ἡ νεφέλη ἀπὸ τῆς σκηνῆς ἀνεζεύγνυσαν κτλ. —

2) De ν littera addita v. Buresch in Philologi vol. LI p. 93 ss, Blass l. c. p. 19. Quam rem originem ducere e vetere usu docemur titulis Atticis cf. tabellam apud Meisterhans-Schwyzer, Gramm. d. att. Inschr.[3], p. 113 ubi litteram paragogicam in media oratione ante consonantes saepius prodire affirmatur; tituli Pergameni exhibent ν ante consonantes haud raro, sed solum in iis formis, in quibus in Attica dictione ipsa quoque poni poterat (Schweizer, Grammatik der Pergamenischen Inschr. 1898, p. 137), quod percrebruit in annos velut cerni licet ex inscript. Magnet. (ed. Otto Kern 1900) cf. Nachmanson,

Rzachius Volkmanno praecedente coniectura statuit, quamvis investigaverim, non scriptam vidi nisi semel apud Aristeam § 78 (Wendland p. 24), ubi praeteritum tempus sequens legitur: ὡς ἄν τις ἑστήκῃ. Sic enim Wendlandus — perperam mea quidem sententia — quod traditio ἕστηκε praebet.[1]

Ὁππότε in libro tertio a genere sermonis usitato maxime discrepat. Haec enim coniunctio sine ἄν particula coniuncta est cum coniunctivo aoristi III. 285, 741 et, quamquam coniunctioni ἄν adnexum est, cum indicativo futuri III. 556, 60, ubi more solito ponendus fuit coniunctivus aoristi. Facili opera hoc explanari potest ex ea re, quod omnino, coniunctivus et indicativus futuri confunduntur.[2] Latius de hac re disputavit

---

Laute und Formen der magnet. Inschriften, 1903. p. 111—112; postea per falsam analogiam subiciebatur ν littera omnibus fere vocibus vocali terminatis omni ratione certa neglecta cf. Mayser Gramm. der griech. Papyri aus d. Ptolemaeerzeit, tom II, § 39,2 (1900). Quae prava consuetudo adhuc viget in dialectis quibusdam neograecis insularum maris Aegaei ut in dialecto Cypria, Rhodia, porro in Pontica; cf. Thumb, Handbuch der neugriechischen Volkssprache § 33,4.

1) Perfectum et aoristum, quem poni posse in tali structura Blassius l. c. docuit, in unum cadere et promiscue usurpari in sermone vulgari p. 194 eiusdem operis exponitur.

2) Omnibus iis locis, ubi discrimen inter coniunctivum aoristi et futurum indicativi in ει et ῃ positum est, id considerandum est differentiam inter ει et ῃ paulatim illa aetate evanescere, quae conformatio per itacismum facta primo p. Chr. n. saeculo vergente ad finem perducta est, ut tum nil interesset inter ει, ῃ, ι. Etsi ει ut „ι" sonabat iam paulum ante Chr. n. (Blass, Aussprache des Griechischen[3] p. 62 — quae confusio rarissime legitur in titulus Pergamenis v. Schweizer, Grammatik der pergamen. Inschriften p. 52—53, Magnesiae obviam fit iam tertio saec. ante Chr. teste Nachmansone, Laute und Formen der magnetischen Inschr. 1903. p. 43), etsi ῃ

Blassius l. c. p. 203, 210 (v. Hatzidakis, Einleitg. i. d. neugriechisch. Grammatik p. 218). Alia exempla attulerim: Lib. Henoch I. 8 (γένηται falso correctum in γενήσεται Radermacher), Fayûm-Towns 134, p. 290, Kenyon, Greek Papyri of the British Museum vol. II. p. 211, 22, NT: Matth. V. 18,20 pass., Orac. Sibyll.

---

litteram ι adscriptam seu subscriptam exitu saeculi III[ii] in pronuntiando amiserat (ηι = η Blass. Ausspr. [3] p. 48), tamen η ipsum sero tandem in ‚ι' mutatum esse idem p. 37 operis laudati exposuit (cf. Thumb, l. c. p. 98, Mayser, Grammatik der griech. Papyri a. d. Ptolemaeerzeit I. § 6. 3a, in inscript. Magnet primum pro ‚ι' invenitur no. 343 (Otto Kern): M. Αὐρ. Νήκανθρος, saec. III p. Chr.). (cf. autem Nachmanson p. 7. 2.) Qua in re memor sis in Aegypto tribus saeculis antea quam in Attica η et ι pronuntiatione esse constricta, ut ibi primosaeculo p. Chr. n. η, ηι ει, ι secerni non iam possint. Quam ob caussam ex illa aetate codicum auctoritas in his minutiis parum valet, usque ad illa tempora nil restat, nisi ut librorum scripturam sequamur, cum coniunctivum et futurum seorsum a pronuntiandi immutatione concidisse perquam crebris exemplis ostendatur (γένηται, γενήσεται, ἴξεται, ἴκηται etc.) ut error existere nequeat illam temporum sive modorum confusionem loquendo esse effectam (v. Blass, Grammatik p. 9). Quae cum ita sint, exempla illius confusionis (quoad ad ει et ηι pertinent) ante Chr. n. orta ut certa soluta cura adscripsi („ηι = ει tritt in der alexandrinischen κοινή auffallend zurueck" Mayser l. l. p. 17, tom. I), quod natu minora huiusce modi invenias, haec congesta sunt, ne quicquam deesset, quod malui omittenda dicere quam dicenda omittere (quippe qui Sibyllinorm carminum locutionem, ut secundum codices inlustrarem, mihi proposuerim). Me e talibus quidquam colligere noluisse in promptu est, praesertim cum supervacaneum sit exemplis haud dubiis passim ultro affluentibus. Quae confusio diphthongi ει et litterae ‚ι', cum aliquamdiu in libris e sermone incrementum cepisset, M. Aurelio imperatore ab Herodiano expulsa est, qui, quomodo scribendum esset, non modo docuit, sed etiam perfecit, ut ab omnibus rectius fieret (Blass. Gr. p. 7). Ideo inde codicibus maiorem fidem habere licet, quod cadit in libb. I, II, XI—XIV (fort. et. V, VIII), qui si bene exarati fuerint, cur funditus prave ad nos pervenerint, non illucet.

II. 28, 169, XIV. 85, 181, 260, 272, III. 267, 511, 565, 567, 803, IV. 111. Liceat e ceteris libris afferre: I. 377 (sed cf. variam lectionem in apparat. critic.): ὁππόταν βήσεται, I. 182, 319, 336, 344, 362, II 16, XIV. 12, 69, 202. In libri IIIii partibus genuinis vulgari more ὁππότε ἄν quinquies est constructum, ex antiquae Graecitatis analogia novies, in libro I°. bis usum antiquum, sexies recentiorem rationem sequitur, ut hac re ipsa inlustretur, quomodo dicendi genus per quattuor saecula mutatum sit, cum liber tertius, quem tractamus (i. e. partes genuinae) anno 168 a. Chr. n., liber primus ‚nescio an sit tertio saeculo p. Chr. adscribendus' (Alexandre, „ordo legendi", praef. edit. II.; Geffcken, Komposition und Entstehungszeit der Oracula Sibyllina, Lipsiae 1902, p. 49). Eadem est ratio rei, ubi ὅταν cum indicativo futuri conectitur. Qui usus nondum in partibus genuinis carminum reperitur, sed IV 70, qui liber exiguo spatio ab illis seiunctus est. Loco, quem protuli, legimus: ὅτ' ἄν . . . πλεύσει,[1] quae lectio totius classis Ω consensu satis probatur. cf. Clem. Rom. Cor. II. 12. 1: ὅταν . . . ἔσται, Or. Sib. XI. 219: ἀλλ' ὅταν . . . στηρίξει). Similiter iunguntur aliae coniunctiones temporales, sic ἐπήν in libro XIV o, 183 et 317 bis futurum, ἡνίκα sine ἄν (II. 238 – 39 Φ, Ψ, III. 797, XIV. 272, 292) ut ὁπηνίκα (. . . ἵκωνται) III. 666 coniunctivum aoristi sibi adsciscit, quocum contendas Diels, Sibyllinische Blätter, p. 134. 6. In his maxime

1) Futurum πλεύσω velut apud Pollucem VIII, 106: καὶ τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλεύσω δὲ καὶ καταρόσω κτλ., Philem. vol. IV. p. 41 Meinekii comicorum: πλεύσω, φυτεύσω, τοῖχον ἄρας κτήσομαι, Or. Sib. I. 193: πλεύσουσιν ὄρη Φ, Ψ, ibid. VII. 9: πλεύσει δὲ ὄρη Φ, Ψ.

XIV i versus 292 dignus est, qui commemoretur, quod ex eo dilucide cognosci potest futurum et coniunctivum eadem notione poni. Porro IV i versus 97—98 eodem modo constructi sunt, legimus enim: ἡνίκα γαίης βρασσομένης σεισμοῖσιν ὀλισθαίνωσι πόληες et ὅτε IV. 96: ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτε . . . ἵκηται. Contra in actionibus futuris enarrandis coniunctio sola eadem cum futuro coniungitur velut I. 166: ἔσται ἀτρεκέως, ὅτ' ἐς ἀνθρώπους προϊάψει, tum IV. 74, 112, III. 248, 470, V. 215, XIII. 155. Hac semita Homerus ipse praecessit, qui coniunctiones temporales cum ἄν non coniunctas interdum cum coniunctivo (I 337), interdum cum indicativo futuri (A 518, N 272) construxit, qua ipsa re probari videtur vixdum quidquam esse receptum in Hellenisticam q. d. linguam, quod non natura vere Graecum sit et conveniens Graecae rationis proprietati (Hatzidakis, Einleitung p. 15). — Jam transeamus ad voces, quae ‚usquedum, donec‘ significant. III. 441 legimus:

χάσματ' ἀνοιγομένης πέτρης κελαρύξεται ὕδωρ,
μέχρι τε καὶ Πατάρων μαντήια σήματα παύσῃ.

Hic primum offendit particula, ‚τέ‘, quae vacat. Attamen huius usus ex oraculis Sibyllinis ipsis exempla numerosa afferri possunt velut III. 164, ubi mero ludibrio posita esse videtur, III. 176, ubi Φ exarat: ἀφ' ἑσπερίου τε θαλάσσης, cum desit τέ in Ψ, quod propter metrum fieri non potest, III. 590, 663 (hic Rzachius γε scripsit pro ‚τέ‘ codd.), III. 359, ubi τέ desiderari non potest, nisi Rzachium secuti verbis vim inlaturi sumus, V. 94. V. 205: τε καὶ εἰς φόνον ἡγεμονεύσει (Φ, Ψ), I. 88, I. 189. Quin etiam pro καί usurpatum τέ inter duas voces

collocatur: I. 310: μέγεθός τε φυή, I. 169 (an hic abundat?), I. 290, II. 258 (257 Rz.), III. 79 vero respondet καί praecedenti. Res e medio tolli nullo modo potest, quamvis repugnent editores. Ac ne quis hanc dictionis Sibyllinae proprietatem esse suspicetur, addo: Oxyrhynch. Papyr. vol II. no 237, VIII. 16: ἀποδοῦναι εὐθέως ἃ ὀφείλει ἢ παρακαταθέμενός τε τὸ ἀργύριον, ἵνα κτλ. (τέ ‚superfluous' Hunt). Accedit, quod haec particula omnino coniunctionibus perquam saepe addi solet, quomodo ὅτε τε, ἐπεί τε apud Homerum non semel iunguntur, ut ridiculum sit tempus terere exemplis congerendis. Commemoranda autem videtur singularis structura ἄχρις ὅτε apud s. Theodosium Useneri 14, 17, ubi sine ἄν vel κέν coniunctivus extat. Qua disquisitione absoluta verba, quae supra adscripsi, ad accuratius examen revocemus. Μέχρι sine ἄν ad rem futuram depingendam cum coniunctivo construitur III. 570: οὐ γὰρ μὴ θύσητε θεῷ, μέχρι πάντα γένηται, non secus ἕως V. 217: ἕως ἐσίδωσιν ἕ πάντες. Cuius locutionis analoga haec sunt: Herod. IV. 119: μέχρι δὲ τοῦτο ἴδωμεν, ibid. I. 117: ἄχρι οὗ τελευτήσῃ, Thuc. III. 28: μέχρι οὗ τοῖς Ἀθηναίοις τι δόξῃ, ibid. VII. 83. 2, VIII. 58. 5. Particulam ἄν in talibus enuntiatis apud Atticos scriptores nunquam deesse testatur Fuchs, Die Temporalsätze mit den Conjunctionen „bis" und „solange als" 1902 p. 64 (in M. Schanzii symbolis ad synt. histor. ling. Graec.) Contra Homero hoc loquendi genus usitatum fuisse documento sunt loci quales N 141: θέει ἔμπεδον εἷος ἵκηται ἰσόπεδον. Iam gliscit suspicio Ionismi, quae haud dubie confirmatur inscriptionum Atticarum testimonio, in quibus μέχρι et ἄχρι sine ἄν cum coniunctivo non

legitur (v. Meisterhans, Grammatik der attischen Inschriften [3] p. 251), ἕως demum inde a saeculi alterius a. Chr. meditullio. Primum enim hoc invenitur in I. G. II. 624.18:

ἕως σ[ύμ]π[ασ]αι διέλθωσιν.

Quam rem in Sibyllinis carminibus originem non ducere ex epica consuetudine cerni licet exemplis collatis e sermone vulgari qualia haec conquisivi: Aristeae ad Philocratem ep. § 298: μέχρις οὗ κατακοιμηθῇ, Fayûm-Towns III. 265, Papyri Lugdun. II. 232, Berliner Griech. Urkunden 865. 8, Oxyrh. Papyr. II. p. 293, 7—8: μέχρι οὗ ἀποστείλῃς, ibid no. 291, 9: μέχρι ὑγιαίνων παραγένωμαι, p. 294,15: ἕως ἀκούσω φάσιν, 298,59, 259,30 pass. Quam ob rem Ionismum ad syntaxin pertinentem nos hic deprehendisse pro certo haberi potest. Res ideo magni momenti est, quod nemo adhuc in talia accuratius inquisivit, Thumbius autem p. 73 operis saepius laudati hoc modo scripsit: „Die angeführten Beispiele sind geeignet unter den griechischen Dialecten dem Ionischen den relativ stärksten Einfluss auf die κοινή zuzuschreiben; für ein sehr wichtiges Gebiet, die Syntax, fehlen leider die nötigen Vorarbeiten." Quamquam si res ita est, illam auctoritatem ad syntaxin quoque pertinuisse verisimile est, quam sententiam amplexus Guil. Schulze in Hebdom. philolog. Berolinensis vol. anni 1895, no. 3 Ionismum esse autumavit usum adiectivorum et participiorum neutrius generis, quae iam apud Thucydiden (!) passim occurrunt. Quibus nisus observationibus coniunctivum origenem fuisse futuri, quod postea in huius modi structuris ponitur (III. 568: μέχρις . . . ἔσσεται, I. 273,

XI. 209, Ev. Luc. XIII. 35) arbitror. Eadem est ratio rei, ubi ἄχρις, ne alteram vocis formam silentio praeteream, cum futuro coniungitur velut I. 273, XI. 209: ἄχρις ἔσω XIV. 200: ἄχρις . . .ἵξεται.

Restat, ut de coniunctione πρίν nonnulla addam. IV. 26 Sibyllistes scribit: πρὶν πιέειν φαγέειν τε πεποιθότες εὐσεβίῃσι, enuntiato positivo praecedente, quod usui antiquo convenit, sed II. 148 enuntiatum negativum sequens πρίν futurum sibi adsciscit, quod ipsum quoque e coniunctivo aoristi indicativo futuri mixto explanandum censeo. Quod ἄν desideramus, hoc non mirum est, quod Attici ipsi hanc particulam neglexerunt (Blass, l. c. p. 214).

Denique in fine huius partis paucis attingere volo, quid pro Attica loquendi norma inaudita verborum constructio vocanda esse videatur. Omittitur enim interdum in structuris temporalibus verbum finitum, ut id, quod rebus attribuitur, omnino desit, velut II. 6—10, ubi frustra finitam verbi formam requirimus et III. 509—10, ubi Geffckenius secundum codices recte πορθέοντες edidit. Simili modo scripserunt: Dio Prus. de regno II. 26 (de Arnim): ὁππόταν καιρός et Achilles Tatius I. 18: ὅταν οὖν ἡ Ὀλυμπίων ἑορτή, Demetrius de elocutione (ed. L. Radermacher) § 303, auctor decreti cuiusdam, quod expressum invenis in Fayûm-Towns p. 124, 14: ἐάν τις ἄλλα περὶ ταῦτα ποιήσας. Componere locos Attico aut recentiore more constructos, ut e numeris aliquid concludamus, inutile esse arbitror, cum dubium sit, numquid hac re in tanta codicum corruptela efficiatur. In rebus praeteritis narrandis semper antiquum usum Sibyllistae

secuti sunt praeter solum illum locum (III. 132), cuius supra mentionem feci.

Quibus rebus tractatis transeam ad eos soloecismos enumerandos, quos in structuris finalibus animadvertimus. Ut rem perspicue disponam, exempla secundum particulas distributa afferam: III. 130: ὡς βασιλεύσῃ (200 a. Chr. v. Geffcken, Compos. und Entstehungszeit p. 13), quod cum veterum consuetudine non pugnat. Sed codices classis Φ exhibent scripturam ‚βασιλεύσει'. Operae pretium est in hanc rem accuratius inquirere. Nam praeter hunc versum tria eiusmodi exempla ex oraculis Sib. afferre possum: I. 161, VIII. 72, VIII. 293 (ἵνα φθιμένοισι λαλήσει teste Lactantio), unum quoque exemplum (I. 7), ubi hanc constructionem adhibitam videmus in uno codice, Monacensi P: ἵνα ... ἀμελήσει, cum ceteri textus ἀμελήσῃ praebeant. Neque tamen absurdi quicquam prae se fert haec lectio; legimus enim per eandem confusionem in actis Petr. Paul. c. 58: ἵνα ... προηγήσονται (P, Q, codices), Greek Papyri (Kenyon) vol. II. p. 301, 4: ἵνα ... ῥύσει, quocum conferas ibid. 8: ἵνα ἀνταποδώσει. Plura exempla contulit Blass. l. c. p. 206—7. Aliis omnibus locis harum coniunctionum usus a sermonis genere usitato non recedit ut III. 130, 740, 826, I. 7, 25, 58, 129, 153, 340, II. 250 passim. Et omnino mirum est, quam pure servata sit antiqua ratio dicendi.

Non raro Alexandrino more enuntiati finalis loco structura consecutiva coniunctione ὥστε introducta ponitur. Est quoque, ubi ‚τοῦ' huic infinitivo praefigatur ut his exemplis probatur: Oxyrhynch. Papyr. I. 52. 7 p. 109, Orac. Sib. III. 233: τοῦ πεπλανῆσθαι ὁδούς,

additamento non praefixo: Arriani Indica VIII. 10, Aeliani de nat. anim. XIV. 10: προσήρτηται, ὥστε ἡσυχῇ διασείεσθαι ὑπὸ τοῦ προσπίπτοντος ὕδατος. Illud quoque vestigium huius usus dicas, quod legitur I. 136 enuntiatum pendens a μελήσει ,ὥς τε' introductum, cum ὅπως c. ind. fut. expectemus (v. Iannaris, hist. greek grammar 19, 118). Hocne vere e vulgari consuetudine dictum sit, nescio an in dubium vocetur eo, quod apud scriptores optimae Graecitatis similia reperiuntur (Xenoph. Cyrop. VI. 3. 19). Antiquae elocutioni hae res ipsae quoque conveniunt III. 796: σῆμα δέ τοι ἐρέω μάλ' ἀριφραδές, ὥστε νοῆσαι, ubi rhetores Attici fortasse coniunctione finali usi essent, ibid. 822: θεὸς νόῳ ἐγκατέθηκεν, ὥστε προφητεύειν με τά τ' ἐσσόμενα; praeter ceteros autem versus 102 libri I. huc spectat: δεσμοῖς ἀρρήκτοις πεφυλαγμένοι ἐξαποτῖσαι, quem infinitivum vere finalem vocandum esse censeo. Quamquam his locis sermonis ratio certis finibus circumscribi non potest. Qua de caussa huius rei paucis mentionem fecisse sufficiat.

Tum ad structuras condicionales pervenimus. Passim similitudo cum sententiis temporalibus apparet, maxume, quod coniunctio sine ἄν coniunctivum, cum ἄν futurum interdum sibi adsciscit ut omnino quattuor genera condicionalium enuntiatorum confunduntur. Quod si penitus perspicere volumus, exemplum invenimus versum 37 prooemii, Rzach 'Αποσπασμάτια II.). Ibi in protasi modus realis, in apodosi modus irrealis adhibetur:

Εἰ δὲ θεοὶ γεννῶσι καὶ ἀθάνατοί γε μένουσιν,
πλείονες ἀνθρώπων γεγενημένοι ἂν θεοὶ ἦσαν,
οὐδὲ τόπος στῆναι θνητοῖς οὐκ ἄν ποθ' ὑπῆρξεν.

Singularem porro soloecismum ostendunt versus III. 258—60:

καὶ ἥν ἄρα τις παρακούσῃ

ἠὲ νόμῳ τίσειε δίκην ἢ . . . ἐξαπολεῖται.

Ibi in apodosi optativus et indicativus futuri ad idem significandum usurpantur. Fieri potest, ut optativus futuri ipsius vice fungatur, quod saepissime invenitur velut: Or. Sib. III. 705, 758, VIII, 171, II. 285, XIV. 264, 303, 324, XI. 24. XI, 17 ss., ubi optime perspicitur his formis idem exprimi. (Non secus V. 138: ἡνίκ' ἀπ 'Ιταλίης ἰσθμοῦ πλήξειε τένοντα optativus futuri sive coniunctivi partes agit; exempla talis confusionis scriptoribus solutae orationis non minus usitatae ex enuntiatis principalibus et dependentibus conquisivit Reinhold p. 110 operis saepius laudati). Certe dictio loci supra attrectati concinna non est et a sermone Attico polito magnopere distat. IV. 168—69. scriptum est: παύσει δὲ χόλον πάλιν, ἤνπερ ἅπαντες εὐσεβίην περίτιμον ἐνὶ φρεσὶν ἀσκήσητε e more Attico. Commemoraturus sum lectionem quamvis repudiandam codicis Bononiensis Lactanti: ACXECAIτδι..., quod optativum esse cognoscimus. Neque talis constructio singularis est, cf. Gr. Pap. vol. I. p. 115. 8:

εαν αφαιμι . . . επακολουθησαι, v. Schmid, de Atticismo I. p. 244, qui apud Atticos scriptores ipsos (Xenoph. de vectig. III. 14) talia extare monuit (ut Orac. Sibyll. XII. 198 ὁππόταν c. optat.) Sicubi vel indicativum ab ἐάν pendentem invenimus, ne hoc quidem mirum est exemplis collatis: Gr. Pap. I. p. 108 (737): εαν εθελης και εαν αιτησεις δωσει σοι, vol. II. p. 301, 21 22 et 27: αν ευσχολις. — II. 26 legimus εἰ κατίδοι τις . . . θαυμάσσειεν

in Ψ, (Rzach), sed Φ praebet: εἰ κατίδῃ τις... θαυμάσσειεν (sic Geffck.), et ipsum non inauditum, si sensu futurali hoc dictum esse nobis persuasum est, ut coniunctivus indicativi futuri vice fungatur (cf. s. Theodosium Useneri 59,24; εἰ δέ τι τοιοῦτο συμβῇ,), cui interpretationi optativus apodoseos minime obstat, quippe qui futuri vice fungi possit (v. supr. p. 21). Per se utraque lectio cogitari potest. E contrario Sibyllistes antiquam rationem secutus est I. 130, II. 63, 93, 99, IV. 169 multis aliis locis, quos adnotare supervacaneum esse duco.

Sequitur, ut pauca addam de enuntiatis relativis. Sicut Sibyllistes in ceteris structuris, quae pendent a cuiusvis generis coniunctione, interdum coniunctivo utitur, quamquam ἄν particula non adiuncta est, eodem modo pronomina relativa saepe construit. Quod legimus I. 209: ὁπόσων ζωὴν ἐπιτείλω. Facile fieri potest — quod putare malim quam ἄν omissum esse — ut coniunctivus munere futuri fungatur, sed forsitan quispiam arbitretur sententiam finali notione usurpari ita, ut futurum, quod secundum Atticam rationem poni oportuit, hic κοινῆς dialecti more coniunctivo expleatur (velut apud Achillem Tatium IV. 16. 3, NT. Luc. VIII. 17, Oxyrh. Papyr. II. no. 237 V. 10: ὃ προσφωνήσωσιν αὐτῷ). Neque aliter res se habet, quod ad structuram attinet, II. 71: ὅστις... ἕληται, ubi iterum ἄν desideramus. Usus porro satis singularis extat II. 180:

ὦ μάκαρες θεράποντες, ὅσους ἐλθὼν ἀγρυπνοῦντας
εὕροι ὁ δεσπόζων.

Fortasse Sibyllistes optativo iterativa notione usus est adductus participio ἐλθών, cum non meminisset futura praecessisse. Probabilius mihi quidem videtur

optativum ‚εὕροι‘ futuri ipsius loco positum esse, quod fieri supra commemoravi. Ex eis, quae supra exposui, facile cognoscitur III. 700 codd. scripturam: ὅττι κεν μόνον ἐν φρεσὶ θείῃ vindicandam esse (v. supr. p. 21 ἐάν et ὁππόταν c. optat.) — Saepius elocutio Atticae consuetudini accommodatur (velut. I. 229, II. 69, 123 pass.), ut facile suspicio Atticismi existere possit. Liceat igitur nonnullas observationes afferre, quae ad hanc rem pertinent. Ac maxime commotus sum, ut Atticistarum industriae vestigia requirere conarer, nota, quam legimus apud Thumbium l. c. p. 12. 2: „Atticistische Neigungen finden sich auch in den Schriften der frühchristlichen Litteratur, welche sich an die Sprache des Neuen Testamentes anlehnen und selbst im Neuen Testamente.“ Quamquam libri III ii partes genuinae (ap. Rzachium [Geffck.] III. 97—294, 489—829) scriptae sunt, ut censuit iam Alexandre, a Iudaeo, qui vixit Ptolemaei Philometoris aetate, tamen has quoque respicere possumus, quod vere documenta inferioris Graecitatis sunt habendae. Sed in hoc ipso libro vixdum quicquam Atticismum resipit; futura enim Attica, quae his iam temporibus evanescere Blassius p. 41 docuit (cf. Radermacher in Philologo 1900 p. 176), nusquam vidi, nisi III. 615 similia inter hac recensere volumus, quae praesentia esse putem futuri tantum sensu usurpata, a grammaticis quibusdam falso cum Attico q. d. futuro confusa; III. 364 τελεῖται praesens est, satis notabiliter licet inter futura positum. Quamvis optativus perquam saepe extet ut I. 322, 383, II. 26, 285, XIV. 172, 264, 303, III. 521, 646, 705, 818, VIII. 171, XI. 91, 154, 155 et in diversissimis quidem

structuris, quae pendent a coniunctionibus etc. v. s., id documento esse non potest Atticistas contextum hic illic correxisse (quod confirmat Radermacher in Demetrio p. 72). Contra multa e vulgari sermone irrepserunt, in his autem nequaquam numeranda est praepositionum apocope, quam quidem acerrime pugnare cum Attico dicendi genere explanavit Thumbius p. 63—64, sed „epicae magis sunt apocopae praepositionum quam dialecticae" (Alexandre, editio prior II. Excurs. VII. cap. I). Quae dixi, his exemplis inlustrantur: I. 47 ἀμπείραντες, I. 250 ἀμπαύσασα, 382 καλλείψας, 394 καππέσεται, II. 12, 238, 274, III. 266 (ex Alexandri coniectura, quae mihi probanda esse videtur), 339, V. 239, XIV. 359. Talibus rebus Sibyllini libri scatent. Vere vulgare est futurum sigmaticum, quod nonnunquam secundi sive Attici futuri loco adhibetur: I. 394, III. 685, IV. 97, XIV. 198, 346, ne plura ex innumerabilibus fere exemplis proferam.

Certe ex eis, quae contuli, dilucide apparet in omnibus Sibyllinorum carminum partibus vetus et recens, epicum et vulgare esse mixtum, Atticistarum vero industriam plane esse neglectam. Soloecismi autem ipsi id non perspicue ostendunt; nam ne Atticistas quidem a talibus abhorruisse Reinholdius l. c. p. 18. 4, 20,30 quam luculentissime explicavit. Immo vero omnia paene desiderantur, quae distincte eorum industriam indicent, nonnulla enim et disiecta nescio quomodo sive e consuetudine vetere sive a scribis admissa esse possunt. Nil igitur obstare opinor, quominus Sibyllina carmina linguae vulgaris documenta habeamus epicis tantum elementis, Homericis et Hesiodeis maxime memoriis permixta.

Pars altera.

De casuum usu quaestiones.

Quoniam de structuris, quae pendent a coniunctionibus et pronominibus relativis disserui, hac altera parte agam de casuum syntaxi, qua in re illud intendo, ut et de verborum regimine nonnulla proferam et de praepositionum usu insolentiore. Hic vero cognoscitur iurari non posse in ullius editoris verba. Quamquam non is sum, qui petulanter homines doctissimos et de litteris optime meritos increpem, tamen Rzachio compluribus locis adstipulari non possum, quod infra explicare conabor. Quamvis enim apparatus criticus, quo haec recensio instructa est, perdistincte sit elucubratus, cave opus prorsus editionis adornandae exemplum habeas, cum saepissime recedat editor a codicum m. s. traditione, ubi id nec necessitate nec probabilitate fieri oporteat; necnon Geffckenius, quamquam artius ad traditionem se applicavit, nonnullis locis contextum superfluis ideoque non probabilibus commentis deturpavit.

Cautissime igitur est agendum. Initium scribendi faciant loci tales, quales

I. 85: ἀλλ' οὗτοι πάντες καὶ εἰν 'Αΐδαο μολόντες, ubi facile subauditur δόμῳ sive οἴκῳ,

XII. 77: βήσεται εἰν 'Αΐδαο δόμοις,

XII. 146, XIV. 184, ubi eadem verba reperiuntur. More Attico hic εἰς expectandum erat. Non secus constructum est I. 61—62: ... δεινὴν δ' ἔχθραν προΐαψεν ἐν μέσῳ ἀλλήλων et I. 208, 302, 306, 366, V. 69 (ἐπί c. dat. eodem modo atque ἐν c. dat. εἰς praepositionis loco). Permultis exemplis ex inferiore Graecitate sumptis hic usus confirmatur velut illo: ἐν τῷ σταδίῳ κάτεισι apud sanct. Theodosium 14,8 (cf. p. 129 Usener), ut plura addam:

Philostratus II. Apollon. V. p. 3 (Kayser): καὶ σκηπτὸς ἐν τῇ γῇ πεσεῖσθαι δοκῶν et idem in Imag. 20, p. 388: ἐν τῷ 'Ηριδανῷ πεσεῖν. Alia huius generis exempla congessit Blassius l. c. p. 127. Volgari quoque sermoni hanc dictionem convenire testantur papyri: Kenyon, Greek Papyri of the British Museum, vol. II. p. 285, 6 et 9:

ανερχομενου εν τῃ οασει.

Sed aetate genuinarum Sibyllae carminum partium nondum permanavit recens construendi ratio, immo vero scriptores et codicum scribas interdum titubare animadvertimus ut III. 367, ubi Rzachius (Geffck.) ἐς Ἄσιδα γαῖαν ὁδεύσει scripsit, cum exhibeant codd. classis Φ lectionem: ἐν ἀσσίδι γαῖαν et Ψ: ἐν ἀσσίδι γαίᾳ. E contrario V. 466 ἐς omnium consensu traditum est. Simili modo ἐπί cum dativo iungitur I. 113: ἐπ' αὐτοῖσι βεβόλητο et III. 716, ad quem locum Alexandre ,cum motu' hoc esse dictum adnotat; mihi quidem non secus I. 169 motus significari videtur voce ἐπί (πράσσειν ἐπί = agere

in aliquem). III. 725: ἐπὶ στομάτεσσι πεσόντες respondet locis, quos supra e Philostrato deprompsi, cf. L. Radermacher, Demetrius de elocutione p. 90, Blass, p. 134. Minime ea inaudita pro Graeca loquela apellari possunt coll. vers. Homerico Z 453: ἐν κονίῃσι πέσοιεν et [Xenophon] Cyneg. VI. 5. Haud secus directivus et locativus permiscentur in posterorum Latinitate, quam ‚argenteam‘ nuncupare solemus, quod testatur Petronius in Satur. 19 (Buecheler): *vetui hodie in hoc deversorio quemquam admitti*, et idem fortasse in cena Trimalchionis 73: *in solio descendimus* (‚in solo‘ codd., ‚in solium‘ olim Buecheler) cf. Schol. Iuvenal II. 142: *in solio si qua ... descenderit* et Val. Maxim. IX. 15.1: *in hortis admisit.* — Rarius dativus solus sic adhibetur ut I. 212, qui casus vere locativus quaestioni ‚ubi?‘ respondet I. 26, 36, 191, XIV. 10.

Accusativus igitur, casus directivus, cum dativo confunditur. Quamquam fines hic casus (dativus) non propagavit aliis functionibus ei ereptis et ad accusativum translatis, quod his exemplis probatur: IV. 45: μένουσιν ἐπ' ἄρουραν, V. 178: εἰς Ἄιδου χῶρον οἰκεῖν (Φ, Ψ), ubi Rzachii coniecturam minus probabilem esse puto. Idem fere legitur apud Achillem Tatium I. 2.: ἐς τὸ προκόλπιον, Aristeam 14: εἴασεν εἰς οἰκετείαν. Inquisiverunt in hanc rem accuratius Schmidius, De Atticismo I. p. 91, Usener in s. Theodosio 89,12, Blassius l. c. p. 120, dilucidissime ut facere solent. Paucis hunc usum adumbravit Thumbius l. c. p. 125. Superfluum igitur est plura addere; sed liceat e papyris congerere: Kenyon, Greek Pap. vol. II. p. 301 (no 413) 11—12:

ηκουσα γαρ οτι κιται εις τα σιγνα λεινα, ibid p. 302,16: ει δ ουκ εχεις εις τα σιγνα. Adeo usitata evasit haec locativae et directivae notionis confusio, ut quocumque te vortis, cumulatim talia seu similia invenire possis. An aliud est, quod IV. 187 legitur: ὅσσοι εὐσεβέουσι, πάλιν ζήσοντ' ἐπὶ γαῖαν? Rzachius autem facere non potuit, quin hunc versum depravaret medelam dubiam Attice emendandi adhibendo, quod perperam actum censeo, cum omnes codd. classes et Ω et Φ et Ψ accusativum exhibeant. Quod Ω ἐπὶ κόσμον habet nil refert, si accusativum vindicare volumus. Prorsus eadem est res V. 21. 25, XII. 39 necnon III. 132: παρὰ τήνδ' ἐκάθηντο, quod a Polybii elocutione alienum non esse aperuit notum illud παρ' αὐτὸν μεῖναι, quod Schmidius l. l. adtulit. Fines, ut supra dixi, non esse terminatos his locis illustratur: I. 40, 116, 381: εἰς οὐρανοῦ οἶκον ὁδεύσει et contra I. 52: ἐνὶ χώρῳ μεῖναι. Praeterea casus ille directivus, accusativum dico praepositione carentem, qui in optima Graecitate interierat nec legebatur nisi apud poetas ut Aeschylum in Persis 862, quod in Sibyllae carminibus nonnunquam extat velut I. 377: ὁπόταν 'Αϊδωνέος οἶκον βήσεται memoratu vix dignum arbitreris, sed dubites sitne res eiusmodi IV. 20: ἄχρις ἐνδεκάτην ἀφικέσθαι (ἐνδεκάτην subiectum esse potest), ubi Geffckenius ἐς δεκάτην secundum coniecturam ab Alexandro (v. not. ad IV. 20 edit. min. 1869) propositam scribendum esse censuit. Licet IV. 47, 86 ἐς δεκάτην scriptum videamus (num est poetae semper iisdem verbis uti?), mihi persuadere non possum hic mutandum esse, cum ἕνδεκα numerus in omnibus codd. pariter extet, quamvis aliter traditio

ambigat, et recte dicat poeta se res futuras usque ad stirpem undecimam esse enumeraturum, — ea scilicet exclusa cf. v. 86 — ita, ut res optimam habeat explicationem (cf. Badt: de orac. Sibyll. a Iudaeis compositis, Vratislaviae 1869, p. 6). Latius grammaticam hanc quaestionem tractavit Schmidius, l. c. p. 236 tom. I. — Non solum quod ad directivam et locativam notionem attinet accusativus et dativus confusi sunt, sed etiam aliis notionibus alter cum altero pugnat; maxime accusativus relationis, quem Graecum vocant Latini, interdum dativo expletur velut I. 244: ἡ δὲ πτερύγεσσι καμοῦσα, ubi sensus locativus facile subaudiri potest, quod magis apertum fit versu 100 ibri I. i: στιβαροὶ μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει (cf. Odyss. ρ 308: ἐπὶ εἴδει τῷδε), sed hoc relinquatur integrum, certe Atticus rhetor accusativum posuisset. Posterioris autem aetatis scriptores a talibus non abhorruerunt — ne Atticistae quidem — cf. Λούκιος ἢ ὄνος 610: λεπτὸς οὖν πάνυ γίγνομαι καὶ ἀσθενὴς τῷ σώματι, tum Achill. Tat. IV. 1: γυνὴ μεγάλη καὶ πλουσία τῇ στολῇ. E volgari sermone afferam: Acta S. Timothei p. 8,10 (Usener) τῷ γένει (pro τὸ γένος), Aristeas 53: ὁ δὲ εἶπε βούλεσθαι καὶ πενταπλῆν τοῖς μεγέθεσι ποιῆσαι, ibid. 82: μεγάλοι τοῖς μεγέθεσιν, 93: τοῖς βάρεσι (pro τὸ βάρος) semper in plurali numero, et qui politissimus Atticistes, vocandus est, Plutarchus, scribit (Pericles XXIX. 2) ὡς μηδὲ τοῖς ὀνόμασι γνησίους, quod minus fortasse mirum est, quod apud Xenophontem similia legimus in Anab. II. 6. 9: καὶ γὰρ ὁρᾶν στυγνὸς ἦν καὶ τῇ φωνῇ τραχύς,, ibid. VII. 7. 31 Memorab. I. 6.7. (cf. Blass. p. 92, 115). Et omnino certis cancellis hunc accusativum et dativum circumscribi non posse

explanatur multis exemplis ut Lysiae X. 29, ubi in eadem paragrapho dicitur: νεανίαι τὰς ὄψεις, et paulo infra: τοῖς μὲν σώμασι δύνανται, tum iterum τὰς δὲ ψυχὰς οὐκ <εὖ> ἔχουσιν, quae coniectura necessaria esse videtur. — Forsitan quispiam Pindari Pyth. 1. 90: μὴ κάμνε λίαν δαπάναις huc rettulerit; sed hoc instrumentali dativo propius accedere putem. Accusativum relationis invenimus I. 237: δεῖμ' ἔχε καὶ κραδίην πάλλεν μέγα, 310, 369, ut hic quoque certas regulas poni non liceat.

Intellegitur Pindari illo ex versiculo, quomodo fieri possit, ut nonnunquam instrumentalis et locativus haud satis perspicue secernantur. Auget praeterea hanc difficultatem, quod instrumentalis interdum cum praepositione ἐν, locativus sine ullo additamento prodit. IV. 11: ἐν ὄμμασι θνητοῖς μετρῆσαι ‚ἐν' idem esse praefixum cognoscimus, de quo Radermacher in notis ad Demetrium p. 100 et 110 egit (v. Blass. § 41,1). Eodem modo XI. 143: πέσεται ἐν χειρὶ γυναικός (= manu, non ‚in manum'), instrumentali ἐν adiectum est. Quod dicendi genus perfamiliare Graecis fuisse testimonio sunt Aristeae ad Philocrat. epist. 66: διαφερόντων ἐν ὡραιότητι (sed apud eundem 93: τῇ παχύτητι διαφέροντα) et ea, quae apud Schmidium in illo, quem de Atticismo composuit libro, inveniuntur. Usener l. c. p. 214 eadem apud optimae Graecitatis columina legi monuit, ut apud tragicos poetas et Thucydiden V. 49. 1, quibus locis ego addam Thuc. VII. 11: Τὰ μὲν πρότερον πραχθέντα, ὦ Ἀθηναῖοι, ἐν ἄλλαις πολλαῖς ἐπιστολαῖς ἴστε κτλ. Paucis attigit hanc rem L. Mendelssohn in Philologo 1890, (vol. XLIX) p. 264, fusius Deissmannus in eo opere, quod inscripsit „Bibel-

studien" p. 115 ss. Quae cum non omnino repugnent Atticorum usui, sed finibus tantum propagatis in sermone prodeant idem dici non potest de ea re, quam nunc sumus tractaturi. Nonnulla enim verba voluntatis, quae aliquando cum accusativo (c. infin.) construi solebant, nunc dativum usurpant, in quibus maxime κελεύειν commemorandum est. Idonei sunt hi loci, qui quae dixerim inlustrent:

I. 132: σοὶ δὲ ... κέλομαι ἀσκήσασθαι,

I. 206: ὁπόσοις κέλομαι ἀγορεύειν,

III. 631: ταῦτα γὰρ ἀθάνατος κέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν, ut analoga congeram: Aristeas 184: ἐκέλευσε τῷ Δωροθέῳ τοὺς ἐθισμοὺς ... οὕτως ἐπιτελεῖν; S. Theodosius p. 184: ἐκέλευσε τῷ ... ἐπιτετραμμένῳ, v. exempla, quae ibi Usener selegit; Kenyon, Gr. Papyri, vol. II. p. 290, 21: και εαν κελευσηι ανελθιν μοι, ibid p. 293. 17: ο κυριος μο ο δουξ ... εκελευσε, ubi μοι potius legam quam μου, quod editor e coniectura in contextum recepit, ut persona, cui aliquid mandatur, significetur ut ibid. p. 295. 14: κελεύειν μοι; cf. Blass. l. c. p. 108. Non secus Amherst Papyri (Grenfell and Hunt) vol. II. no. 79,34. Causam constructionis immutatae analogiam esse suspicer ceterorum verborum imperandi, in primis παραινεῖν et παρακελεύεσθαι (παραγγέλλειν, ἐπιτάττειν), quae res adiuta est eo, quod in epica dialecto (apud Homerum et Hesiodum) paria extant. Apte hic numeratur μένειν, quod ipsum quoque cum sensu expectandi antea accusativum postulabat, tum dativum interdum sibi adsciscit v. VIII. 161: ἄλωσις μένει Θήβῃσιν. Dubium esse videatur, utrum μένειν verbi εἶναι c. dat. commodi coniuncti munere fungatur (quod

Rzachius e IV. 89: ἔσται καὶ Θήβῃσι κακὴ μετόπισθεν ἅλωσις loco attrectato scribendum esse censuit) an dativus pendeat a μένειν ipso, quod criticorum praeter Geffckenium adhuc nemo, quod sciam, probavit; nam Mendelssohn ipse in Philologi vol. XLIX. 2 (1890) p. 263-64 ad versum 279 libri XI i delatus in eodem fere verborum ambitu ἁλούσῃ proposuerat. Quamvis IV. 89 et XI. 279: ἔσται ἅλωσις scriptum sit, nihilo minus loco, qui nobis est in manibus, codd. m. s. scripturam defendi posse mihi persuasi collato Euripidis fragmento 733 (Nauck, Tragicorum Graec. fragmenta ed. II.): τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει (ut Or. Sibyll. IV. 114: Ἀρμενίῃ, καὶ σοὶ δὲ μένει δούλειος ἀνάγκη; sed Hom. Il. X 38: ‚μή μοι μίμνε', μοι dativus ethicus est, cum accusativus ἀνέρα τοῦτον insequatur).

At contra nonnulla verba intransitiva cum accusativo construuntur, quod ita non perspexit Rzachius, ut omnibus criticae artis adiumentis, ubicunque extant, res insolentiores e contextu eiiceret. Eis, quae dixi, luculento testimonio est III. 167—168:

Οἶκος μὲν γὰρ πρώτιστος Σαλομώνιος ἄρξει
Φοινίκης τ' Ἀσίης ἐπιβήτορας κτλ.,

ubi Rzachius ‚ἔρξει' temptavit. Quod propter sensum factum esse videtur, ac re vera negari nullo modo potest hos versus insaniam continere, quae, quod videam, Rzachii coniectura haud plane expeditur. Qua de caussa aliam viam nuper iniit Geffckenius, qui mutatione haud ita facili scripsit: Φοίνικες ... ἐπιβήτορες. Quod commentum quamvis speciosum prorsus reiiciendum esse mihi persuasi licet nonnulli complosis manibus sint adstipulati. Nam praeter salebrosam ambitus

structuram monendum est Salomonis regnum primo loco nuncupandum non fuisse „quo et antiquiores alias et latiores noverat ipse Sibyllistes, qui paulo supra Babylonis et Aegypti meminerat“ (Alexandre), tum ordo regnorum falsus est; denique interrogem, num Pamphylii, Cares, Mysi dominationem habuerint (nam γένος quoque nominativus accipiendum est, si Geffckenium sequimur), quae cum Babyloniorum uno tenore dici possit. Praeterquam quod tali medela versus non sanatur, id reputemus Sibyllistas auxisse inepte res gestas plus semel, plus semel veritatis modum excessisse. An probatur historia, quae legimus III. 351, IV. 145—50, V. 484—511 (cf. Geffcken, Komposition und Entstehungszeit etc. p. 26), in versibus porro 21, 58, 105, 128 libri XIV ii, de quo iam Alexandre iudicaverat: „cave quidquam in hoc libro quaeras, quod cum historiis conveniat“ (v. etiam Friedlieb, Einleitg. p. LXIX). Iam vero Geffckenius ipse l. l. p. 24 verbis utitur ut: „echt sibyllinische Übertreibung“, ibid. p. 19: „der Sibyllist weiss mehr als die Geschichte selbst“; quod autem maximi facio, p. 8, ubi librum tertium tractat, in hoc ipso multa explicari non posse profitetur. Ineptiae ergo dico, quas perspicimus, documento esse non possunt versum corruptum esse, neque versus mutandus, sed intelligendus est. Ac profecto clarissime Alexandre rem cognosse mihi videtur, cum ad locum, de quo lis agitur, adnotaverit: ‚auget poeta supra modum Salomonis potentiam, cuius fines rectius statuuntur a Iosepho (Antiquit. VIII. 2 § 4). Redolent haec Iudaei hominis fastum‘.

Nunquam putaram tot verbis opus esse ad rem tam minutam et iam diiudicatam inlustrandam. Neque enim ἄρχειν cum accusativo conexum exemplorum auctoritate caret. Quod ipsum verbum eadem constructione legitur apud multos serioris aetatis scriptores velut, ut unum exemplum exarem, apud Theophanem in Chronographia p. 88 C (Bekker): ἄρχων τὸ τῶν Σκυθῶν βασίλειον. Cuius usus portam fortasse reseravit figura, quae dicitur etymologica, in qua Philodemus Rhet. II. 209, 32 (δεῖ τὸν πολιτικὸν ἄρχειν τὰς κατὰ πόλιν ἀρχάς) et 211, 2 hanc vocem usurpavit ut aliquando Herodotus III. 80, VI. 67, Thucyd. I. 93, Plat. apolog. 32 b (ἄλλην μὲν ἀρχὴν οὐδεμίαν πώποτε ἦρξα ἐν τῇ πόλει). Unde ad rationem, quam supra descripsi, pervenire non longum erat. Sed magni pendendum puto, quod apud Theophanem adiectivum obiecto non est additum, ut ἄρχειν verbum vere transitivum prodire videatur.[1] Sicut ἄρχω compositum verbum ἐπάρχω cum accus. prodit V. 22: ὃς ἐπὶ Πέρσας ἄρχει καὶ Βαβυλῶνα. Quo more voces tmesi seiunctas coniungendas esse arbitror. Per se quidem ἄρχειν ἐπί ex analogia verbi βασιλεύειν constructum esse posset (de βασιλεύειν ἐπί cum accus. v. Blass, p. 103, cum dativo: Anecdota Graeco-Byzantina I. p. 46 Vassiliev: ὅταν χήρα βασιλεύσῃ ἐπὶ σοί) et quod praepositio alteri membro ‚καὶ Βαβυλῶνα' deesset, id nos admiratione non adficeret — suo iure Radermacher (p. 67 Demetrii) et Vahlen, in Aristotelis

1) Idem ἄρχειν cum dativo coniungi velut XII. 262: Ῥωμαίοις δ' ἄρξει τὸ μέγα κράτος, III. 121: ὃς πάντεσσι βροτοῖσιν ἔχων βασιληΐδα τιμὴν ἄρξει (ex epicae poeseos analogia? cf. B 805: οἷσί περ ἄρχει, ξ 230: ἀνδράσιν ἦρξα, ξ 471: τοῖσι δ' ἅμα τρίτος ἦρχον ἐγών) obiter moneam.

art. poetic. p. 1459 b. 4 hunc usum Graeci sermonis proprium esse contenderunt — sed ἄρχειν, quod scio, nusquam sic legitur, porro Tiberius non ἐπὶ Πέρσας ἄρχει, sed Romanorum Caesar est et ‚ἐπάρχει‘ Πέρσας καὶ Βαβυλῶνα (nos „noch dazu“). Simili modo XII. 15 Ῥώμην κοιρανέων (Ω) scriptum videmus, ubi Rzachius Alexandri sententiam amplexus est, qui Ῥώμης politius sive elegantius esse opinatus erat, quod re vera negari non potest, sed optima codicum classis exhibet accusativum, quem Alexandre ipse in contextu emendare vel potius depravare non ausus est (vide edit. alteram Alexandri 1869 in lucem emissam). Nihil singulare hoc exemplum, notum enim et alius notionis verba sic esse constructa, quamquam antea dativum sive genetivum postulabant, ut cognosci possit, etsi codicum auctoritati non multum tribuere liceat, tamen, si nullum aliud testimonium gravissimi momenti inveniatur optimos illos libros necesse esse sequamur, quod his quoque locis probatur:

VIII. 56: μυστήρια πάντα μεθέξει,

XI. 189: τὸ δὲ οὔνομα τοῦτο μεθέξει,

quae verba suo iure editores in contextum admiserunt, quamvis ab Atticorum scriptorum discrepent sermone, nisi ἅπαξ illud λεγόμενον apud Thucydid. VI. 40: ἴσον μετασχεῖν adspicimus. Poetae autem similia non repudiarunt, quod Sophocles (Oedip. Colon. 1484) et Aristophanes (Plut. 1144) testantur. Qua re cognita, cur omni coniectura abiecta scribam XI. 271: μνήμῃ χάριν μετέχοντες (participes pietatis memoriā = eo quod eum memoria tenebant) nemo non videt. Ac ne in re metrica offendas, libri eiusdem versus 183: αἰαῖ σοι,

τλῆμον Ἑλλάς, ὅσα δεῖ σ' ἀνοιμῶξαι,) 199 (πολλῶν δ' αὖ μερόπων ἀνδρῶν πόλεις ἐξαλαπάξει) 202 (καὶ πᾶσαν ὁπόσην ἐπιδέρκεται ἠέλιος γῆν) adeas, quos tandem recte edidit editor novissimus. — Semel quoque dativus a μετέχειν dependens invenitur XIV. 60: ἄναξ τε τριηκοσίοισι μεθέξει. Alia exempla inter haec recensenda exhibent v. III. 255: λαὸν ὅδ' ἡγεμονῶν, ubi ἡγεμονεῖν accusativum λαόν sec. Φ, Ψ usurpat, quod Rzachius permittere noluit sed ex ἄρχειν verbi analogia colligi poterat, et et V. 101: αὐτὸς ὡς Περσῶν λάχεν Αἴγυπτον πτολεμίξει (sic Φ, Ψ)...ἔλαχεν γαῖαν πτολεμίξει (Excerpt. Parisin., Rzach, Gffck.) Nescio an codicum lectio sit praeferenda; Rzachius aliter iudicavit, cum sic ratiocinaretur: primitus scriptum fuisse γαῖαν, tum Αἴγυπτον glossema adscriptum in contextum irrepsisse; sed γαῖαν nomine Περσῶν praecedente ad Persarum terram magis pertinet, ut quae fuerit lectio genuina, diiudicare vix audeam. Certe caesura solita restituitur Rzachii lectione, sed hanc rem non magni duco, nam in re metrica adeo peccaverunt Sibyllistae, ut tales urbanitates facile desiderentur (cf. Alexandre Excurs. VII.). — XIII. 62: ὃς Πέρσας μὲν ἅπαντας οἰστοβόλους πολεμήσει, qua in re monendum est hoc ipsum verbum apud veteres quoque scriptores cum accus. conexum legi nempe cum sensu oppugnandi (‚ea enim vis verbo, quum quartum adsciscit casum' Dindorf in Steph. Thesaur. s. v., cf. exempla ibi collecta), qui loco, quem tractamus, intellegi non potest. Neque tamen usum, de quo disputamus a Graecitate inferiore alienum esse nobis persuadetur his locis: Polyb. XI. 19. 3: ἑκκαίδεκα πολεμήσας ἔτη Ῥωμαίους, ubi male Dindorfius e coniectura

in contextum recepit: ,Ῥωμαίοις' quae ratio eo minus comprehendi potest, quod idem recte scripsit ibid. XVIII. 47. 1: ,μηδένα πολεμεῖν'. Sat arteficiose Schweighaeuser ad Polyb. XVIII. 30 et I. 15. 10 discrimen voluit statuere inter πολεμεῖν τινι = bellum gerere cum aliquo et πολεμεῖν τινα = bellum inferre alicui. Quod confutari superfluum est; immo vero hoc e simplificandi sermonis studio ortum esse patet neque necessarium est Casaubono obloqui, qui XVIII. 47. 1 pro μηδένα: ,πρὸς μηδένα' et Reiskio, qui ,μηδεμιᾷ correxit.

Hic vero cerni licet non esse elocutionem ad grammaticae praecepta exigendam sed ubique, quae. consuetudo fuerit, observandum. — Παύεσθαι III. 489 et 295: ἐπαύσατο ὕμνον (utrobique consensu Φ, Ψ codd, probatum) a Rzachio in ὕμνου emendatum. — Nos profecto nihil aliud esse arbitramur has constructionum immutationes nisi id simplificandi sermonis studium, quod in ipsa syntaxi modorum quoque animadvertimus. V. de hac re Useneri in S. Theodosium notas, qui p. 182 Iacobo in Achillem Tatium citato τυχεῖν similia cum accusativo conexa explanavit. Similia desumam e Clemente Alexandrino p. 412: τέκνον ἐπιθυμοῦσα et Aristea § 44. — Quae cum ita sint, quavis mutatione non emendari sed in deterius verti patet. —

His rebus tractatis ad nonnullos soloecismos inlustrandos accingimur, quos quin sic apellaret, Alexandre facere non potuit, qui loci meo iudicio nihil absurdi aut notabile prae se ferunt. Dico talia qualia III. 248: ἀταρπὸν ὁδεύσει, 367, IV. 78: ὑγρὰ κέλευθα πεζεύσει, VIII. 487 etc. Non solum epicae

elocutioni conveniunt, sed etiam Atticae dictionis normae respondent, quippe quae ad viam, qua quis ingrediatur, significandam accusativum usurpet (quem usum inferioris Graecitatis aetate non evanuisse docet Manetho III. 47: τόδε κέντρον ὁδεύοι, idem VI. 125 saepius, tum Sextus Empiricus: τὴν ἄνανδρον ὥδευε Λιβύην, cf. mus. rhen. 1892, p. 330), quem ad modum porro III. 553: κακὰ ἡγεμόνευσαν βροτοῖς in anomala irrepserit, parum scio (vide Φ 258, ω 225, ζ 261, η 30).

Inferioris aetatis est, quod Nauckius (Mélanges Gréco-Romains, IV. p. 584—85) explicaverit attrectato e Sibyll. oraculis versu 126 libri I i, participii μεμηλώς cum dativo constructio cum sensu adiectivorum ‚studens sive intentus'. Idem dici posse de participio μεμελημένος ibid. p. 162—163 exemplis comprobatum invenis, quomodo II. 341: οὔτε γάμῳ μεμελημένη οὔτε λογισμοῖς et passim construitur. [1]

Quoniam de casuum usu a verbis dependentium insolentiore disserui, pauca addere velim, quae ad praepositiones liberius adhibitas pertineant. Unice I. 86 legitur: Τιμὴν ἔσχηκαν καὶ ἐπὶ πρῶτον γένος ἦσαν, quod prorsus sensu carere inter omnes constat, qui contextui emendando operam navarunt ideoque remotum est, cum Rzachius: ἐπεὶ ἦ, Geffcken rectius καὶ ἔπε scripsit. Nec multo clarior est versus I. 309: ὅμοιος δὲ τύπος ἐπὶ πᾶσιν ἕκαστον Φ, Ψ, εἶδος καὶ μέγεθός τε φυή τ' Φ, (φωνή Ψ), cuius enuntiati partem priorem Alexandre admisit, cum in posteriore parte φυήν ex Γ. 179 se coniecisse profiteatur. Rzachius pro ἕκαστον,

1) Cave huc referas Pindari Olymp. I. 89, ubi μεμαότας legendum esse exposuit O. Schroeder p. 87.

,κέκασται' inculcavit collato versu Υ 35: ὃς ἐπὶ φρεσὶ πευκαλίμῃσι κέκασται, quem nemo interpretum sat clare perspexit. Geffckenius et Wilamowitzius legunt: ἑκάστων, εἶδος καὶ μέγεθός τε, φυὴ φωνήτε μί' ἔσται. Sed mutationem ἕκαστον in ἑκάστων superfluam esse docet Γ. 179: ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής. Praeterea codicum distinctionem immutatam vides, qui post φυή interpungunt. Ego, si quid sentiam promulgare licet, ἐπί locativo sensu scriptum esse existumem, ut III. 488: αὐχήσει ἐπὶ πᾶσιν, tum in parte altera codicum instar omnino esse conservandum, cum εἶδος — φυή nominativi sint appositiones verbo τύπος additi. Maxime me, ut id putarem, adduxit, quod nominativus in duabus codd. classibus extat, quod variante lectione extremo loco eo magis notandum esse censeo. Sic tota nescio an traditio vindicari potest.

Insolentius deinde haec ipsa praepositio posita est IV. 33: πόθον ἔχοντες ἐπ' ἀλλοτρίης κοίτης (pro ἀλλοτρίην κοίτην) quod locativo et directivo permixtis haud ita difficulter explicatur et V. 100: πίπτουσ' ἐπὶ γαίης. Quare autem editores (Rzach, Geffck.) tamquam ex syngrapha priore loco, quem proposui, ἐπ' ἀλλοτρίῃ κοίτῃ scripserint, V. 100 genetivum probaverint, est quod magnopere mirer, quasi vero res non plane eadem sit. Certe non alia intercedit discrepantia inter πόθον ἔχειν ἐπί τινος et πίπτειν ἐπί τινος nisi inter epicum illud (Z. 453) πίπτειν ἐν κονίῃσιν, quod formulae fere more a posteris iterum atque iterum usurpatur et ambitum libere compositum, quem legimus apud Rufinum (Antholog. Palat. V. 97): εἰ μὲν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρως ἴσα τόξα τιταίνεις. Neque hic genetivus exem-

plorum auctoritate caret, relegas apud Blass. p. 133 et conferas: Greek Papyri of the British Museum (Kenyon vol. II. p. 294. 31 (no 237): αποστιλον επι της πολεως τιρωνα, Orac. Sibyll. I. 276: ἧξ' ἀποθαρσήσας ἐπὶ γῆς, Ev. Lucae XXII. 40: γενόμενος δὲ ἐπὶ τοῦ τόπου „in quem locum ubi venit", Ioh. VI. 21 (sed codd. optimi ἐγένετο ἐπὶ τὴν γῆν). Non probabiliter egerunt viri illustrissimi trium omnium classium, Ω, Φ, Ψ lectione repudiata, quae grammaticae quoque convenit. Liceat de hac praepositione addere: IV. 183: κρίσις ἐφ' ᾗ δικάσει θεός. Ibi ἐπὶ et instrumentali et locativa et temporali notione extare potest („quo iudicabit orbem" ut NT, Luc. IV. 4, Act. apost. III. 16, Phil. III. 9, Maxim. Tyr. Dissert. XXVII. 6: βιοτεύειν ἐπὶ τῷ οἴνῳ) simili modo atque ἐν instrumentale. IV. 55 autem: ἐς γενεὰς δύο μούνας· ἐφ' ὧν τάδε γ' ἔσσεται ἔργα sensus temporalis facillime cognoscitur, nam haud raro ἐπί cum genet. coniungitur nominibus propriis potissimum et substantivis officium, aetatem, regimen significandi gratia ut apud Arrianum III. 73: ἐπ' ἐμοῦ = meo tempore, B 797: ἐπ' εἰρήνης, ubi Scholia adscribunt: ἐν τῷ καιρῷ τῆς εἰρήνης, Matth. I. 11, Ioh. Lydum, de cometis X b. p. 34 (Wachsmuth): ἐπὶ Γερμανικοῦ Καίσαρος ut cum nominibus propriis passim in N.To.; non secus Herodotus I. 15: ἐπὶ τούτου δὲ τυραννεύοντος, Lys. XII. 42: ἐπὶ τῶν τετρακοσίων. Quam ob rem Alexandre ἐφ' ᾧ maluerit, caligine mihi obvolutum est. — Insolentius Alexandri iudicio ἐπὶ cum dat. extat. IV. 154: ζῶντες ἐπὶ τόλμαις, ubi ἐπί c. dat. iungitur ad statum quendam rei accuratius depingendum, quam dictionem vixdum voces insolitam, etiamsi Demosthe-

nicum illud (XXI. 58) γεγονότων τινῶν ἐπὶ συμφοραῖς ut prave traditum emendatione egere dicas respiciens locutiones quales: ἐπὶ τούτῳ νῦν γεγόναμεν, ἐπ' αὐτῷ νῦν ἐσμεν (Plat. rep. 6 p. 490 D, p. 532 B., ibid. Polit. p. 274 B.) tum V. 49—50:

καὶ ἐπὶ σοί, πανάριστε, πανέξοχε, κυανοχαῖτα,
καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα,

quos versus breviter praeterire nequeo. Alexandre haec verba interpretatus est: „te regnante", quod sensum bonum referre videtur. Sed interrogem, quae sint τάδε, quae futura esse narrantur. Sibylla huic quaestioni nullo verbo respondet. Tamen nescio an medicina parari potest grammatica subveniente. Paucis enim versibus a loco, quem adhibui, seiuncta sunt verba (v. 41): αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ... οὐ φεύξεται, versione Latina ‚post quem' translata. Ac nimirum ita divulgatus est hic usus, ut supervacaneum videatur exempla e scriptoribus sumere, talia sis cognoscere, adi Aeliani var. hist. IV. 5, Xenoph. de rep. Lac. XIII. 7, Anab. III. 2. 3, Alciphron III. ep. 8: πλείονα ἐπὶ πλείοσι ἀποφερομένη, Eurip. Phoen. 1231 etc. His observationibus instructi iterum ad versus, qui sunt in manibus accingamur. „Post te... tuis ramis confectis haec erunt: 51 τὸν μέτα τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ τρίτος ὀψὲ κρατήσει, quae interpretatio sensui quoque vocis τάδε optime convenit, quae res insequentes veluti digitus demonstrat. Tum quoque ἤματα πάντα non superfluum sed necessarium est, quibus verbis exprimitur tres omnes s i m u l semper esse regnaturos.

Κατά: Genetivus huic praepositioni adnexus legitur III. 222 et V. 305: κατὰ γαίης („pro γῆν", Alexandre

Excurs. VII. — ut IV. 24, 173, XI. 273), qua voce depingitur locus, ubi homines habitent et agant (ut nos: „über—hin“). Quemadmodum κατά hunc sensum usurpaverit nescio quomodo explicetur, quia antea idem fere erat et eadem notione poni solebat atque ἐπί cum accus. (=contra, Blass. p. 130); tum locativo et directivo confusis quaestioni ‚ubi?‘ respondere poterat. Exempla sis relegas ap. Passowium I. p. 1597, comparandi causa III. 218, 751: οὐδὲ μάχαιρα κατὰ χθονὸς οὐδὲ κυδοιμός.

Παρά VIII. 423 c. dat. invenitur, ubi quaerimus quo? (καὶ δόκιμοι παρ' ἐμοὶ τότε χωρήσουσιν ἅπαντες), contrarium scilicet causae, de qua ad III. 132 supra disputavimus. — Ὑπό IV. 184 ἥμαρτον ὑπὸ δυσσεβίῃσι ab Alexandro anomale dictum notatum est. Tamen apud Homerum saepius tale occurrere indicibus cognoscitur. E grammaticae quidem doctrina dativum causae expectamus sicut apud verba affectuum, utpote quo exprimatur animi condicio. De ὑπό addito cf. ea, quae Thumbius l. c. p. 128 exposuit „über die reiche Ausgestaltung des praepositionalen Ausdruckes.“ Notum enim est saepe vel abundantes praepositiones suis casibus praefigi velut, quod comparetur, ἀπό (I. 311: πλησθήσῃ ἀπὸ αἵματος, VII. 105: πανέρημος ἔσῃ δ' ἀπὸ λαῶν) et ἐκ illud, de quo nunc fusius disserendum erit. Scriptum videmus I. 357: ἐξ ἄρτων ἅμα πέντε καὶ ἰχθύος εἰναλίοιο χιλιάδας κορέσει πέντε... Hic paululum ambigere liceat. Kuehner enim, ut ab hoc ordiar, Gr. Grammat. II. p. 399, de instrumentali quodam usu vocis ἐκ egit, quem his exemplis probatum putat: Eurip. Hecub. 573: ἐκ χερῶν φύλλοις ἔβαλλον, Xen. de

rep. Lac. VII. 5: τὸ ἐξ ἀδίκων χρηματίζεσθαι ἐν τοιούτοις διεκώλυσεν, Thucyd. I. 124. 2: ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη βεβαιοῦται. Ego quidem his addere velim, quod Pseudo-Phocylidea perlegens invenerim: ἐξ ὁσίων βιοτεύειν vers. 5. editionis Hillerianae). — Male hunc usum instrumentalem vocari in promptu est termino tantum, a quo actio aliqua prodit, significato. Facile igitur loco, quem tractamus, ἐξ ἄρτων ut apud Xenophontem ἐξ ἀδίκων positum esse quispiam autumet, sed praeter hanc alia interpretatio dici potest, nempe κορέννυμι Attico more constructum esse (τινά τινος) et ἐκ genetivi illustrandi magisque perspicue reddendi causa casui ipsi praefixum esse, qua de re haud inusitata in posterorum Graecitate Usenerus in S. Theodosio p. 185 scripsit.

Exemplis minus illustratum est περί eo sensu, quo hanc voculam adhibuit Sibyllistes I. 198: ἔσῃ δὲ τρόφος περὶ πάντων. Facillime equidem dativum poni potuisse opinor, sed ὑπέρ quoque conspirat cum dictione tam antiqua quam Hellenistica. Ὑπέρ enim dativi fere, qui commodi dicitur, vice fungi solet (v. Demosth. de coron. 334: εἶναι ὑπέρ τινος = alicui utilitati esse). De περί hac notione Blassius, cum p. 131 latius disputasset, exemplis hanc loquelam excussit, quae non minus huc spectant quam 1 Cor. I. 13: ἐσταυρώθη περὶ ὑμῶν (codd. Vatican. Roman. et Clarom. Parisin.) ὑπέρ ceteri codices). Alios locos omnium consensu traditos apud Blassium attrectatos habes. Plura adferre necessitate non cogimur, cum res iamdudum pateat.

Notabilium rerum agmen denique claudat libri Ii. vers. 359:

τὰ δὲ λείψανα τούτων
δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα λαῶν.

Non obscurum est, quid velit dicere auctor; verum tamen hanc locutionem saepenumero inveniri infitior. Non secus VIII. 278 dicitur:

(Χριστός) δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα λαῶν,

quod Latinus interpres traduxit: ‚spem gentibus almam' appositionem εἰς — λαῶν esse suspicatus. Sed I. 359 talis interpretatio minus apta videatur, quod λείψανα subiectum est et accusativus non habet, unde pendeat. Talem praepositionis εἰς usum Graecitati veteri non respondere cognovit Kaibelius, Stil und Text der Ἀθηναίων Πολιτεία, p. 139, ubi reiicit Blassii coniecturam in Aristot. Polit. Athen. VII. 4: εἰς μαρτύριον, quo loco charta male praebet εκμαρτυρων;[1] minime vero Hellenistice sic scribi negari potest; conferas Ev. Matthaei VIII. 4: εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, Marc. I. 4: βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Licet in versibus, qui sunt in manibus, εἰς positum sit sicut in noto illo verborum ambitu: τὴν πήραν εἰς κάθεδραν ποιεῖσθαι, nempe accusativi praedicativi illustrandi causa, certe finalis quaedam vis subest, quam recognoscimus in gemella voce πρός, quod saepe consilium significat ut apud Aristeam, ex quo scriptore Wendlandus s. v. πρός in indice exempla conquisivit, cf. Demetrium de elocutione 32,19: πολλάκις δὲ καὶ δύο φράζεται δι' ἑνὸς πρὸς τὸ χάριεν, quod enuntiatum Radermacher in adnotationibus p. 97 tractavit. (Prope hic locus accedit ad notionem „mit Rücksicht auf"). Verum tamen

1) Nunc recte deletum est a Wilamowitzio, edit. 3, p. 7,7 adnotat.

optimae Graecitatis scriptores, maxime rhetores Atticos in tali ambitu enuntiatum finale praetulisse constat et ubi Demetrius (p. 22,22): καί τοι τῆς μεταφορᾶς πρὸς ὄγκον λαμβανομένης exhibet, illos πρὸς ὄγκον ποιεῖσθαι vel ἵνα ὄγκον παρέχῃ τῇ ἑρμηνείᾳ dicturos fuisse puto. Per idem fere artificium fingitur: ποικιλία ἐκ τῆς συνθέσεως (sc. γιγνομένη) Demetr. p. 24,8, neque minus huc spectat v. 165 Musaei: πειθομένης ποτὶ λέκτρον ὑπόσχεσίς ἐστι σιωπή. Hic data occasione supersedere nolim addere Petron. (cen. Trimalch.) 27: *aquam poposcit ad manus* (εἰς χεῖρας), quam locutionem tam Graecis quam Latinis exemplis excussam tractavit Guil. Heraeus „Die Sprache des Petronius und die Glossen“, Lipsiae 1899, p. 31. Quod attinet ad εἰς cum infinitivo V. 330: ἐς τὸ δοκεῖν de hoc usu post ea, quae Blassius p. 231 exposuit, verba facere superfluum duco. —

Quam immensam structurarum ac rerum commutationem, si nobiscum reputamus, lingua, quamvis senilis facta, nunquam triti, ut ita dicam, instrumenti speciem ostendere videtur, sed ex innumerabili cogitationum, sententiarum, idearum copia semper novas formas gignere, ut nihil constans probetur in cuiusvis linguae historia nisi sola vicissitudo. Atqui Usener in eo opere, quod inscribitur „Goetternamen“ p. 6, sermone humano cum organo comparato dixit in lingua sicut in animalibus regenerandi et stirpem propagandi studium aetate quadam evanescere. Ac mihi quidem suo iure illustrissimus ille vir ita censuisse videtur; nam ante oculos habendum est recentes illas formas nonnunquam rebus externis positas esse, rebus extrinsecus intrusis, non raro antiquissimis rebus

renovatis specie tantum novi emergere, ita ut antiqua diuturna iam oblivione obruta depromantur et paulum aut omnino non regenerata iterum usurpentur a rerum scriptoribus. Quodsi Cobetus (Var. lect.[2] p. 182) hanc dialectum vocat „sermonem putidum, quo utebatur Graecia decrepita, senio confecta ac delirans", edepol intellegere non possum, quid sibi velit haec odiosa maledica oratio. Certe inconcinnitates probandae non sunt, certe pulchrius scripsisse Demosthenem concedes, attamen Hellenisticae Graecitati laudem tribues, quam Cicero (Orator 52) his verbis expressit: „est oratio mollis et tenera et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas."

Sperandum igitur est fore, ut quam plurimi huiusce linguae studio incumbant, quod magni fructus ex ea, operose investigata percipi possunt, quippe qui ubique inter folia inveniantur. —

Multum erravere in hac re vel doctissimi, multum igitur errasse consentaneum est hominem adhuc parum in ea versatum, praesertim cum non in diiudicatas sed partim paene cognitas quaestiones inquisiverim. Quod me non piget memorem illius proverbii:

Τὸ πολλὰ τολμᾶν πόλλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ.



Indices.

I. Index librorum et annalium, e quibus hausi.

Editiones:

1) Ch. Alexandre, Oracula Sibyllina, Parisiis 1869 (Praef. Exc. IV, V, VII).
2) Friedlieb, Orac. Sibyll. Lipsiae 1852 (LXIX).
3) A Rzach, Χρησμοὶ Σιβυλλιακοί, Vindobonae 1891.
4) J. Geffcken, Oracula Sibyllina, Lipsiae 1902.

A. scriptores huius aetatis.

Berliner philolog. Wochenschrift 1895, 3 (G. Schulze) 17.
Blass Fr., Grammatik des neutestamentl. Griechisch (1896), (p. 202, 203, 210, 214*, 206—7, 213, 41, 134, 127, 120, 92, 115, § 41,1; p. 103*, 133, 130, 131, 19, 194, 9.) passim.
Cobet G., Variae lectiones² 1873, (p. 182) 9.
Deissmann A., Bibelstudien 1895, (p. 115 ss.) 30.
Diels H., Sibyllinische Blätter 1890 (p. 134, 6) 14.
Fuchs, Die Temporalsätze mit den Koniunktionen „bis" u. „so lange als", 1902; (p. 64) 16.
Geffcken J., Komposition und Entstehungszeit der oracula Sibyllina 1902, (p. 1 ss.) 10 (p. 19) 33 (p. 26) 33 (p. 49) 14.
Hatzidakis G. N., Einleitung in die neugriech. Grammatik 1892, (p. 15) 15 (p. 218) 13.
Heraeus Guil., Die Sprache des Petronius u. die Glossen 1899, (p. 31) 45.
Jannaris, Historical Greek Grammar 1897; (19, 118) 20.
Kaibel G., Stil u. Text der 'Αθηναίων Πολιτεία 1893, (p. 139) 44.
Kern, Otto, die Inschriften von Magnesia am Maeander 1900, (no. 343) 13.

B. scriptores Graeci (cum papyris et inscriptionibus).

C. scriptores Latini.

II. Index versuum Sibyllinorum, qui tractantur.

(excerpsi, quae alicuius momenti esse viderentur.)

III. Index grammaticus.

Vita.

Natus sum Ervinus Guillimarus Oldenburger mens. novembris die 30. anni 1880 Coboici (Bochum) Guestfalorum patre Gerhardo et matre Agnete de gente Schulz, quos superstites gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus in urbe natali gymnasium ibidem frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus primum Heidelbergae theologiae operam navavi, tum spatio sex mensium consumpto Bonnae studiis philologis et philosophis me dedidi. Ibi bis senos menses commoratus Berolinum me contuli, ubi pariter bis senos menses scholas audivi Denique autumno anni 1902 inter cives universitatis Halensis receptus sum. Docuerunt me viri doctissimi: Heidelbergenses: K. Fischer, Deissmann, Grützmacher, Kneucker,

Bonnenses: Usener, Buecheler, Elter, Solmsen, Radermacher, Clemen,

Berolinenses: Vahlen, Diels, de Wilamowitz-Moellendorff, Kekulé de Stradonitz, Harnack, Paulsen, Muench, Heinze, Dessau, Helm,

Halenses: Blass, Dittenberger, Wissowa, Wilcken, Riehl, Vaihinger, Uphues, Schwarz.

Proseminariis, exercitationibus philologis et historicis, seminariis, ut interessem Buecheler, Elter, Rader-

macher, Diels, de Wilamowitz - Moellendorff, Heinze, Helm, Dessau, Blass, Dittenberger, Wissowa, Wilcken benigne mihi permiserunt. Seminarii philologi Halensis sodalis fui bis senos menses, senior per sex menses.

Omnibus praeceptoribus gratiam habeo quam maximam.